



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 4. Linguæ Antiquæ Italiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

Italiã numeratas esse vrbes septem & nonaginta supra mille. Idem afferit multos in eam commigrasse illectos suauitate morum eius incolarum. *Solinus* cap. 8. Colonias in eã frequentes laudat. Sed illustris est *Plinij* locus lib. 3. cap. 20. *Hæc est quæ L. Emilio Paulo, & C. Attilio Regulo Coss. nunciato tumultu Gallico, sola sine externis auxiliis, etiam tunc sine transpadanis, equitum octoginta millia, peditum septingenta millia armauit.*

**DIVES.** *Plinius* lib. 3. cap. 2. *Metallorum omnium fertilitate nullis terris cedit, sed interdictum est veteri Senatusconsulto Patrum, Italia parcentium; quæ & ferè repetit lib. 33. cap. 4. Item etiam Strabo lib. 6. laudat in Italiã τῶν μετάλλων εὐπορία παντοδαπῶν.*

§. 4. *Lingua Antiqua Italia.*

**VMBRICÆ** meminit Pompeius Festus, dum ait Plautum Vmbricè vocare *Strebula* coxendices victimarum.

**TVSCÆ** linguæ vocabula sunt *Æsar* Deus Suetonio: *Subulo* Tibicen: *Cupra* Græcis ἄξ: *Verse* ignis: *Arsè* auerte: *Cupra* Iuno: *Liuius* lib. 10. disertè docet non fuisse Romanam.

**VOLSCORVM:** *Sublices* afferes vnde pons sublicius: & apud Festum, *Obscè* & *Volscè* fabulantur nam Latine nesciunt.

**OPICORVM, seu OSCORVM & SABINORVM,** eandem fuisse linguam satis benè demonstrat *Cluuerius*, & *Oscè* locutos esse quorum magistratus Capuæ *Mediastuticus* dicebatur, quæ vox *Oscæ* est: innuit quoque *Liuius* lib. 10. *Samnites* *Oscâ* linguâ vfos esse. *Marsi* quoque fortè *Oscorum* idiomate loquebantur: siquidem vox *Herna* mons, quæ apud *Seruium* vox *Sabina* est, apud Festum dicitur *Marfa*. Nihilominus sequentes voces perhibentur

**OPICORVM, seu OSCORVM** fuisse: *Daliuum*, insania; *Famel*, *Seruus*; *Mæsius*, *Maius*; *Mamers* *Mars*; *Mediastuticus*, Magistratus: *Pettora* quatuor, vnde currus 4. rotarum *Petoritum*; *Sollum* rotum seu solidum.

**SABINORVM** autem; *Ciprum* bonum; *Creperum* dubium, vnde *crepusculum*; *Februum* purgamentum; *Cuba* lectica, vnde *cubiculum*; *Curis*, hasta; *Nar* sulphur; *Herna* saxa, vnde *Hernici*; *Nero* fortis & strenuus: *Cascus* vetus.